HILARIA
ANIMORVM,

Poſt ſuperatas rigidi examinis Noctes
Longiore publicæ felicitatis die
Ex obtentis Coronarum decoribus,
A
VII. VV. DD. PRIMÆ LAUREÆ CANDIDATIS,
Dum, per
Clariſſimum & Excellentiſſimum Dominum,

D. M. GASPARUM
TOPINSKI,

Philoſophiæ Doctorem, Collegam Minorem;
In Perauguſta Divi Iagellonis Aula,
Ac Spectatiſſima Illuſtrium Hoſpitum, & Senatûs
Academici Corona,
Artiū Liberaliū, & Philoſophiæ Baccalaurei,
RITU SOLENNI RENUNTIARENTUR:
Circa Æquinoctium Vernum

CELEBRATA:

Quorum Publicam lætamq; Feſtivitatem,
GREGORIVS STANISLAVS BARSZCZEWIC,
Ejuſdem Laureæ Candidatus
In vim Fraternæ Gratulationis & publici Applauſûs
è voto cordiali
Ad Cytharam Apollinis

DECANTAVIT.

Anno Salutaris Hilaritatis, 1703. die 31. Aprilis.

CRACOVIÆ, TYPIS ACADEMICIS.

In Gentilitium Stemma
Perillustris & Reverendissimi Domini.





Vere novo flores dum crescunt, FALCIBUS à Te
Nostra coronatur frons nitet atq; datis.
Debuit à CRUCE nam Pallas traxisse decorem,
En Nobis tulit hunc nunc geminata Tua.

Perillustri & Reverendissimo Domino,

D. GASPARO

De Kamocin

KAMOCKI,

Canionico Cathedrali Cracoviensi, & Sandomiriensi, Præposito Ilzensi, &c. &c.

Domino & Patrono Colendissimo.

INter virentes, pallentem Magno Nomini Tuo hederam serpere lauros, non succensebis, qui & Gentilitiis Armis, & excelsi magnitudine animi pallorem pavoremq; præsentis seculi superare par, imbelli Musæ meæ Numine prospero, occurris. PERILLUSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE. Ad sacra vatum carmen afferre meum non auderem, nisi Magni Patrocinii Tui sublime Decus, pro Apolline Tutelari Poëtarum Deo boni faventesq; Superi ostendissent. Nempè plenum ingenio pectus, cum Tibi Illustrium Natalium fausto genio contigisset, non sustinuisti præstans animo, quin operoso conamine & hæroicâ industriâ, igneum Entheumq; vigorem intenderes & augeres. Illustres Magni Nominis Ceras, Dædaleo opere fabricatas pennas existimasti; nisi perenne bonarum Artium lumen inclyto titulis generi splendorem & decorem addidisset. Ubicunq; per Germaniâ Italiam, & Gallias, soles literarū inocciduos meliùs nitere inaudiveras, eò ingenium Iove ubiq; & Phœbo dignum direxisti, quatenus cumulatior eruditis fulgoribus redires. Eximias præcellentis Naturæ Dotes, Ecclesiæ bono multùm profuturas, advertit in Te, nitidū innocentis animæ ebur, aurea Ecclesiæ militantis Columna, suprema in terris secundùm Deum Coronarum potestas INNOCENTIUS XII. PONTIFEX MAXIMUS; nec distulit Cælo mōstrate locum, inter Augusta Illustrissimi

Capituli Cracov: Coronamenta tergeminis apprimè dignum Coronis verticem recensere. Nec alia succurrisse potuit occasio gratior, Celsissimo olim Principi Illustrissimo ac Reverendissimo Domino JOANNI MAŁACHOWSKI Episcopo Crac: Duci Severiæ; quàm Dignitatem Tuam Principali suæ Fasciæ Consanguineam in gratiosissimo Coronarum Vavelli Ternione conspicuam videre. Optimorum Pontificum conceptam de Te spem magnam, majoribus implevisti, heroicorum operum successibus, ad Augustum Regni Tribunal, ab Illustrissimo CAPITULO Cracoviensi, Ablegatus, pro Divini humaniq; Juris vindiciis, citra favorem partium, semper Judiciis officientem strenuè, decertando. Tam gloriosis præclarè gestorum processibus effecisti, ut Ecclesiarum Bono, Defensioni, & ornamento, votis supplicibus invoceris. Nec mirum? Geminæ etenim Avitæ Crucis Nitor, Magnum Gratiarum & Beneficiorum eundemq; serenum ingeminat diem: imò, si Triumphalibus Tuis non Saturni Falcibus, post hæc tristia temporum & amara curarum, libet cunctis Saturni aurea secula augurari? quidni deceat quoq; Musas Jagelonides, intra fausta Magnæ Domus Tuæ penetralia, eruditorum Hilaria Animorum concipere ac renovare. Tantis erecta spebus rudis Melpomene mea: ad sacrum Humanitatis, ac Beneficentiæ Tuæ delubrum, non barbaricæ opulentiæ Donaria, ast simplicissimi affectûs cultum sistens, inter acerba rerum momenta exhilarescete incipiet, quando vultum Tuum hilarem & serenum Perillustris & Reverendissime Domine, licebit illi intueri. Quod una meaum demisse precatur. qui sum

Perillustris & Reverendissimæ
Dominationis,

Humillimus Cliens,

GREGORIVS STANISLAVS BARSZCZEWIC,
Primæ Laureæ Candidatus.

SIDERI LECHIÆ
INEXTINCTO,
Rerum Academicarum Statori,
B. JOANNI CANTIO,
REGNI POLONIÆ PATRONO,
Adverſus furentes hoſtium turmas,
COLVMNÆ INCONCVSSÆ;
Inter Gradivi furias decantata
ODE VOTIVA.


Rdet profundos ſpiritus igneus
Viſiſſe cælos! Currite Gratiæ!
   Sertis Stoæ replete Portas!
      Ferte roſas, decus omne ferte.
Aſſurgit alto Mons Heliconius,
Faſtigio nunc, atq; Sororibus
   Latonius præcepit Augur
      Ut recinant placido ore carmen.
Grandi boatu ſparſa fuit Cohors,
Integra quando bellua concita
   Duella vexit per ſacratos
      Triſtè locos, rabiemq; fudit.
Ploravit, eheu! Cracia Nobilis,
Induta triſtes exuvias Virûm
   Oblita ſolennes Dearum
      Uſq; choros; doluitq; triſtè.

Mœror ſupremus preſſerat intima
Cordis, feroci vulnere ſæviens;
Muſæ melos ſingultientes
Cum gemitu ſiluêre ſævo.
Quandò Togatæ fulgura dexteræ
Sparſit JOANNES, Gratia deſuper
Fluxit ſuper terræ profundum,
Muſa ſuo cecinitq; Monte;
Interq; crebros cordis anhelitus
Concepit (altis vocibus inſonans)
Carmen; quod à ſummo Tonante
Magne PATER revehis Triumphos.
Te Noſtra Laurus Gloria Te vocat
Obtenta PATREM quam tulit Arbiter
A ſede præcelſa, Decuſq;
Reſtituit Deus ipſe Muſis.
Auguſtus olim prælia vexerat,
Quæ propter in Nos alta ſilentia
Incubuerunt, Martius quæ
Nunc varijs redimit Coronis.
Te Martis atri grande negotium
Pulſante, longè gratior it dies;
Apollo ſqualorem Sororum
Igne videns adamantis uri
Lætatur, altos pectoris & ſui
Mulcet receſſus; aëre limpido
Voces ſonant Pindi canoræ
Principe Te PATER Alme natæ.
Ergo refulgens lumine proſpero
Perfunde SIDUS frontibus inditas
Laurus, Coronas & virentes
Cinge PATER radio ſereno.
Bellacis armis proſpice Patriæ!
Armos Leonis concute torridi!
Ut pace Sarmatæ beati
Grande Tibi ſtatuant Trophæum.

CLARIS-

CLARISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, *ET ADMODUM REVERENDIS DOMINIS,*

DD. EXAMINATORIBUS,

Perillustri, Clarissimo, & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. GASPARO BENEDICTO KAWALCZEWSKI,

Philosophiæ Doctori, in Collegio Majori, Tratnoviano Professori, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNæ, Scholastico, Almæ Vniversitatis, Studij Generalis Cracoviensis Procuratori; Facultatis Philosophicæ protunc DECANO.

Clarissimo, & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. PETRO STANISLAO ŁUZENSKI,

Philosophiæ Doctori, Regio Professori, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNæ Canonico, Curato in Siepraw.

Clarissimo, & Excellentissimo Domino,

D. M. GASPARO TOPINSKI,

Philosophiæ Doctori, & Professori, Collegæ Minori.

NVnc, quæ Sarmaticos incolitis lares,
Nunc & queîs Cracidos Regia dulcis est;
Blandæ, præpete cursu
Musæ currite Montibus!
Expandit solitas Gloria porticus,
Rumpuntur subitò pressa silentia;
Dantur florida serta,
Nobis ver referant novum.
Excessêre pijs horrida prælia
Vestris porticibus; Phoebus in abditos
Mittit dulce serenum
Iam Vestros pia Numina
Accessus; revocat præmia frontium
Aptantur varijs texta coloribus
Florum, cum redolente
Flore fasciculo Deæ.

Ohe Calliope! seu fide Tu velis,
Seu mavis Cytharâ; Tu trahe! Tu Choros
Pellas ætherem in altum,
Applaudens veteri sono.
Huc, quas nobilibus Creta corallijs,
Aut splendore potens Hesperiæ sinus
Gazas noctibus altis
Abscondit, facilis trahas.
Quænam quæ poterit cælitùs invehi
In Vestrum placidum gratia nunc sinum?
In quo considet alta
Semper gloria vertice.
Nobis Cyprus erit jam pretio minor,
Et nullum Siculis vorticibus decus;
Ganges censibus exsors;
Queîs Laurus redolens dátur.
O quàm fausta manus! Purpura quam tegit
Cingens conspicuis ritè decoribus;
O Præses BENEDICTE
Noster Magne KAWALCZEVI!
Quâ Nobis tribuis, qui vetitus fuit
Splendorem, rabies cui stetit obvia
Bellonâ furibundâ
Grassante arva per inclyta.
Per Te compositis in pretium genis
Riserunt Craciæ Sæcula Pallados;
Præstas ingenij cùi
Census egregios probè.
Tu nostræ Iubar es, Tu Pretium Stoæ!
Tu Pindi Decus ac eximium Cracij!
Quô fulgent Academi
Laurus ignibus aureis:
Quæ Tu sollicitis artibus imbuis
Vel quæ pro Cathedræ fastigio sacræ
Illustras pia, miror,
Quando contuor agmina.
Ergo dulce melos suscipe cordium
Ut tanti pretij Munera cælitùs
Dignis laudibus, atq;
Seclo restituant Poli.

ŁVZEN-

ŁVZENSKI meritis & Tua gloria
Fulgens, Nostra demum tempora Laureâ
Faustè cinxit in arcta
Censura sapientiæ;
Ipsam qui referens, divitis ingeniĳ
Thesauro renuis condere; sed Sophûm
Altis exeris alter
Exedris velut Architas:
Te nostri recinet cordis amor Virum,
Cujus quod niveum promere vult caput,
Est immune perennis
Lethi, grandia præferens.
Raptet ergò dies luna tacens, quibus
Est nullum meritum; flumina sæculi
Te Nobis revehendo
Immensum tribuent decus.
TOPINSKI referent Te quoq; cordium
Fibræ, queis hilares cum Foliĳs dies
Dulci Tullius ore
Confers & tribuis bona.
Motus Tu celeres ingeniĳ impetus
In Laurus virides gratiùs explicas
Nostras; pullulat unde
Ver gratis animis novum.
Ergò tantus erit Ternio cordibus
Sculptus grande Virûm; tempus edax cui
Non damnum feret ullum
Dentis morsibus asperi.



HILARIA
Animorum.
I. V. D. MATHIÆ ZIĘTKIEWICZ, Leop.

Græcorum Corona, quâ faustum aliquid Nuncius afferens coronatus adventabat, & Cives felici Nuntio læti, in communis signum lætitiæ, coronati, ovantes, gratantesq; incedebant.

CVM LEMMATE:

Prodiens à Vindice ferro.

Arma, Ducum Clavæ, Regisq; minantia Sceptro,
Tabo tristè calentia:
Cosacico nimiùm diro stridentia motu,
(Virus Sidere Roxico:)
Quòd nutant, Sparthana Parens; quod fortibus armis
Vincentis populi demum
Pacis nunc Olcam rescindit vindice dextra,
Funus dando rebellibus:
Casibus in cunctis Urbs quod Leoburgica Victrix
Spondet tempora prospera;
Tu Nobis crescente Tua Virtute repandis,
Inter Palladis abdita.
Namq; animus perplexa nimis secreta resolvens
Illo Te notat è loco
Prodivisse, cui Pallasq; Deusq; duelli
Immensum tribuit decus.
Sed Te Musa tamen majoribus utere flammis
In Se maluit, & suâ
Doctrinâ tenerum pectus sic imbuit, ut sis
Tanquam Nuncius inclytus.
Græcia quas igitur fertur gestâsse Coronas,
Felix Tu quoq; præferas,
Quam fide non Græca Pallas Te Cracia cingit,
Sic sperat fore floridas.

II. V. D. IOSEPHO MALECKI,

Corona novo Caligulæ commento, apud Romanos, Solis, & Lunæ, & Siderum specie necti solita.

CVM LEMMATE:

Ut Sydus emicat.

Mittas Laurigeris Tuis
Mittas Phoëbe Pater jussa Sororibus!
Ut gratum recinant melos:
Argenti fidibus sêu velis aureis?
MALECCII canitur decus.
Magnus præcipit hoc STYRKOVIVS Pater,
Qui prætervolitans oras
Fortis Sarmatiæ, Romuleum latus

implet

Implet Nomine prospero.
Pennas Ille Tuas laudibus inclytis
Replebit, tribuens decus:
Illum Diva Themis justitiæ sinu
Sacro composuit suo;
Doctorum Speculum siq; petiveris,
Iuris, jure sit optimus,
Doctor perpetuæ fulgura gloriæ
Spargens, Te quoq; provocat
Lauru Virginea, tramite prospero
Heres ut Meritorum
MAŁECKI existas dignus honoribus.

III. V. D. VALENTINO TUSZOWSKI,

Laurea Corona ex Liviæ Augustæ Laureto desumpta, quâ, post sublatam Myrtheam triumphantes coronabantur.

CVM LEMMATE:

Nescit fulmine tangi.

Artium celsum repetendo Collem,
Qui cupit dignos renovare tractus,
Atq; nitentis genij coruscas
Spargere flammas;
Ille fit cœlo propior sereno,
Solis albentes radios adæquans,
Et cupit magno revehi per astra
Nomine celsa.
Namq; quadrigis vehit alta virtus,
Quos videt flammis caluisse dignis,
Ad suos ausus teneramvè mentem
Tollere in altum.
Ecce TUSZOWSKI repetendo gressus
Arduos recti fueris per almæ
Palladis celsos meritus recessus
Atq; celebris.
Artium gemmas studio calente
Si requirendo, probitatis ignes
Corde ferventi teneas, & altis
Dotibus adsis.

V. V. D. FRANCISCO KALEWSKI,

Corona ex floribus, quos per viam Triumphantium varij sexus & conditionis homines spargebant, contexta.

CVM LEMMATE:

Hæc dulcis Varietas.

Iam terris redeunt tegmina florida;
Iam ver vestit humum puniceis rosis;
Exsurgunt placido è viscere lilia,
Et Phœbo nitido Patri
Salve nunc referunt; dum genialibus
Auris pelliciunt: & violæ breves,
Surgunt in varium, Sidera pendula
Terræ, dant chlamydem novam.

Texunt unde Tibi Serta manu sacrâ
Musa Castalides, candida tempora
Exornant, meritum ritè ferunt decus
Amplis dotibus & Tuis.
Novit Posna quidem quam Genialia
Annorum tuleris tempora per Scholas;
Lactatumq; suis uberibus, sacras
Ad Laurus stimulum dedit.
In Te namq; virent signa modestiæ,
Est ac eloquij mellea gratia,
Vt justè varijs texta coloribus
Fronte Laurea vestiat.

VI. V. D. CASIMIRO RELEZYNSKI,

Corona Querna, quâ coronabantur Victores in Agone Capitolino.

CVM LEMMATE:

Proficit umbrâ.

MArtia cùm grandes prostravit dextera turmas,
Extunc ipsa decus querna Corona dabat.
Scilicet, in rigido certamine festa trophæa
Solo signabat robore proruere.
Cum RELEZYNSKI tantum Tibi sumis honorem,
Diceris infractus, viribus ingenij:
Eccur infremi poterit? quod nisibus altis
Et strictum duro sponte labore fuit?
Namq; diù vertente suos per celsa cylindros
Sole, Tuam mentem mulsit Apollo Sacer.
Quàm tandem matura Tibi Sapientia crevit,
Tam longos placidus vive decore dies.

VII. V. D. CASIMIRO SIENKIEWICZ,

Corona Palladiæ frondis, quâ cingebantur habentes amorem singularem in Cives.

CVM LEMMATE:

Adjuvat in bello.

MVsa per celsos Heliconis alti
Curre felici pede nunc meatus!
Agmen adducas, recinens Sororum
Carmina festa:
Surgat & Phœbus! Cytharam tacentem
Pollicis tangat placidè sonante
Auribus pulsu; Tibi deditorum
Agmina claudit
CASIMIRVS SIENKIEVIVS: Coronâ
Pace felicis referens odores
Nostra concludit gravibus decora
Festa triumphis.
Cujus in pectus tenerum refudit
Phœbus ardentis radijs micante
Luminis (multas geminando dotes)
Abdita docta.
Pallados. Quare canimus beatis
Sedibus quando meliore carmen
Corde, qui Nobis loca Nostra claudis
Sparge decores.

IV. V. D. GREGORIO STANISLAO BARSZCZEWIC,
Primæ Laureæ CANDIDATO,
Authori Operis.

Corona Graminea seu Obsidionalis; à Romanis, illi Heroi conferri solita qui Cives Obsidione liberavit.

A

MATTHIA ZIĘTKIEWICZ,
Ejusdem Laureæ Candidato.
In vim Fraternæ gratitudinis
O B L A T A.

CVM LEMMATE:

Sit pro munere tanto.

MVsa precor referre
  Sponte digneris rutilos solis eburnei nunc
Iam radios; resurgant
  Et potentes gramina sub fulmineos recessus
Culmina nunc resumant.
  Et Coronam mente Dearum fabricatam abundè
Præsidis alma dextra
  Delicata fronte super munere cum reponat
Auspicijs nitente.
  Civibus qui prospicerent cumq; Dijs salute
Et procul hoste pulso
  Magna pacis compositæ fœdera ferre possent,
Gramina si dabantur:
  Tu virentes fers niveis floribus in coronas
Dulce canens Apollo,
  Suavè laudis, præconij, dulcibus & scatentis
Eloquij sonorâ
  Gloriâ nos Laurigeræ Castalidum cohorti
Ecce nimis recensens;
  Gratiarum munies, ebur, ritè trahis, medullas.



Sub Felicissimis Auspiciis,

Magnificis Perillustri & Admodùm Reverendi Domini,

D. M. ALBERTI KRUPECKI,

Iuris Vtriusq; Doctoris & Professoris, Ecclesiarum, Collegiatæ Sanctorum Omniũ Custodis, Curati Luborzycẽsis, Koszczeviani, & Contubernij Philosophorum Provisoris, Canonizationis Beati IOANNIS Cantii Procuratoris, Studij Almæ Vniversitatis Generalis & Vigilantissimi

R E C T O R I S.

